

omnis fructus, non iure feminis, sed iure soli percipitur, ut tradit IULIANVS, c) quem Sabinianum fuisse diximus, d) qui idem docet quoque: in percipiendis fructibus, magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quam feminis, ex quo oriuntur, aspici. Et haec quidem videtur Sabinianorum fuisse ratiocinandi ratio. Contra vero Proculeiani, quos recte ita breuibus descripsisse videtur EVERHARDVS OTTO, e) ut eos ad iuris stricti rigorem magis pronos diceret, subtiliores rationes amantes, multumque nouaturiandi studio ductos esse, haec non adeo simpliciter admisisse videntur. Subtilius enim distinguentes, ex iure feminis quidem fructus non esse aestimandos dabant, ideoque, qui ipsa natura prouidente proueniebant fructus, eos & solum sequi concedebant, in eo vero, qui seuit, putabant, non tam semen, quam operas ferentis, esse inspiciendas, ideoque potius ius esse eius, qui seuit, ob operas, quas adhibuit, & frumentum ex semine ortum operarum maxime fructum habebant. Certe apparet, hanc esse POMPONII philosophiam, qui aperte dicit, fructus industriales *operis* acquiri, negat autem, bonae fidei possessoris esse fructus, qui non *ex facto* nascuntur. Neque huic contrarium est, quod IULIANVS dicit, *neminem unquam*

SCHVLTING in *iurispr. anteiust.* pag. 80 sqq. qui tamen verba illa: *si messem in campo seminauerit, quia mellis non feritur, non putat CAIL esse.*

c) in L. 25. pr. D. de usuris.

d) in §. I. cit. L. 25. D. de usur.

e) in Papiniano cap. XI. §. 9. pag. 355. extr. 199.